Deo opt. max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono. (1671) Lisez 1371

QVÆSTIO MEDICA.

Quodlibetariis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis tertiâ Februarii.

M. PHILIPPO DOUTE', Doctore Medico, Præſide.

An Præcavendo Abſceſſui Venæ ſectio?

PRÆSENTEM Similibus tueri ſanitatem, contrariis reſtituere amiſſam, amittendam utriſque præcavere unius huic aſſiduò invigilantis Medici muneris eſt; qui in ſolis evidentibus non oſcitabundus cum audaculis & ἀμεθόδοις hujus ævi Empeiricis rerum capitis ſatagentibus, dum Fortunæ illi litant & τυχόντων δίκην omnia ſibi in Medicinæ præcepta ægrorumque vitam licere volunt, felicique nonnunquam temeritate ſingularis ſcientiæ famam & nomen ſtolidè ambiunt; ſed qui veterum juſtus hæres litterarum, Hippocratis alumnus nec degener, indicationis plenus unicè ſtudet, ut ad Naturæ exemplum totum ſe componat propoſitumque finem νόμῳ καὶ λόγῳ medicæ virtutis diſcat ſibi conſequendum. Nihil quippe aliud eſt rectè mederi, quàm lege agere, ac totum profligandi morbi negotium necnon ſingula agendorum momenta ad artis præceptiones conſideratiùs moderari. Sic namque legitimâ ille methodo inſtructus curare valet, quin etiam vaticinari; artem illud, hoc artis excellentiam probat, quod ex ipſius naturæ adytis petit & diligenti præceptorum meditatione eruit, tùm ex præteritorum in morbis fideli recenſione, cùm æſtimatione præſentium; his & illis invicem compoſitis & comparatis jura juſtæ præſenſionis apud æquos rerum Naturæ interpretes plena atque integra ſapienter ſibi vindicat, dum ex apertis obſcura, ex obſcuris etiam aperta, ex præſentibus futura colligit, ex morituris ſuperſtites futuros prænuntiat: ſic namque vi mentis & rationis ſenſuum interpretamento eruditæ rerum ſenſibilium eventus curioſa quidem, at certè juſtâ & ſagaci arte dignâ cognitione anticipat, & quod futurum eſt ſplendidus illius ingenii vigor prævidet ac prædicit; illud in mente, hoc in ore medentis eſt, illud animo repoſtum ac conditum hæret, hoc ſuperat ἔρκος ὀδόντων. Dum itaque is Naturæ vindex ſimul & ſoſpes ſic ubique excubat, in præſentis non ſolùm morbi genium & ætatem inquirere ſolemneſve cum eo naturæ depugnantis συμπαραταξίας, humorum indolem, inclinationem, impetum & ſtationem explorare illi datum eſt; horum ſed inſuper in vaſis πλήρωσιν, impuritatem, & illuviem futuri & imminentis abſceſſus proximam cauſam, priuſquam Dominæ creet negotium, tempeſtivè celebratâ venæ ſectione ſcit apprimè ſubducendam.

IMPEDITA unius Naturæ διακρίσεως καὶ συγκρίσεως operâ, per venas, arterias, nervos, oſſa, membranas, cutim & alia ejuſcemodi corporis diverticula, tanquam per tullios & canales fiunt varii humorum cuniculi, varii horum præter naturam illapſus, deflexus, commutatus, & digreſſus à populari ac regia via quò onus ſuum per abditos quoſdam ſeceſſus deponant. Inde luculenta ſurgit abſceſſuum familia, quorum alii totius vitioſi humoris in corporis ſentinam confluxu κατ' ἔκρουν ἢ κατ' ἐκροὴν ἢ κατ' ἔκκρισιν contingunt, quales ſunt teneſmi, dyſenteriæ, diarrhææ, perirrhææ, ſtranguriæ, hæmorrhagiæ. Alii cum non ſatis eſt in natura roboris ut de morbo detur triumphare plenâ & integrâ victoriâ per excretionem, ovare ſaltem per μετάστασιν, ſeu depoſitum illi licet, hinc ἀποστήματα, ἀποσηματίαι, ἔμπυοι, tumorum genus omne, exanthemata, papulæ, furunculi, phymata, phlictenæ, herpetes, eryſipelata, bubones benigniores, venerei, peſtilentes, carbunculi, œdemata, parotides, anginæ, ſtrumæ, ſcirrhi, cancer, gangræna, caries, ſteatoma, atheroma, meliceris; pro varia nempe materiæ conditione variæ horum emergunt differentiæ, quorum alii nulla cyſti, tunicâ alii concluduntur. In his omnibus naturæ ſtudia conatuſque improbos debes priùs obſervare, dehinc advertere diligentiùs quid & quantum offenſionis, negotii, commodi apportare ſolita ſint τὰ ἐπιγενόμενα, ἐπιφαινόμενα. An id illi infortunii primum creatum ſit? An ſecus rerum domina, ſuique juxta impotens feritas ſymptomatum tumultuariâ factione patrarit? An recentis morbi procuratâ ſucceſſione veterem gravioremque illa ſic diſſolvere verſuram ſit meditata, præſenti tum maximè rebus ſuis conſilio ἀποθέσεως quùm fors tulerit imitando, dum critici hujus facinoris interpres vel æquus arbiter ſedeas, ſeriò cogniturus de vi humoris morbifici illique deſtinando commeatu ὅπη καὶ ὅθεν καὶ διότι. Ita planè reſcias plenam illi ineſſe immunitatem quûm pars exceptura dignitate ut ſitu inferior κατ' ἴξιν reſponderit, ſemotior intervallo, æqua continendis ἐκτρεπτέων ἐκβράσματι, ne fiat ἀναξίως τῆς ἐμβολῆς τῆς νόσου, orci διαυλὸν funeſtâ ἀναδρομῇ, ſeu funeſtiore ἐπιγενέσει denuò remetiente ægro pedibus frigidiſſimis. Quæ vota una humorum in vaſis vitiata temperies ac ſymmetria, ſpirituumve facit negata libertas, aut inquinata eorumdem ſubſtantia.

IN iis igitur fugiendis & præcavendis, quæ Naturæ moleſta futura ſunt, Medela eſt & perficitur, providentia uti Medicum decet, qui commodior, ſi diligentiâ morbi proximam ſeramve injuriam prævertat, neque in ſola plethorica ſyndrome cum vetere & novitio Empeiricorum choro collocatum venæ ſectionis deſtinatumque velit præſidium. Quid enim tum conſulere opus eſt? Quid Arte magiſtrâ? cum ex ſe præiverit in ea parte medendi magiſter Hippopotamus ſic benè doctus curare ſaginam, quam, dum moleſta eſt & naturæ gravis, cedit. Niſi enim hac arte, dum onus urget, de eo quod æquum eſt ſubducere properè ſtudueris curaveriſque, ipſa ſibi protinus, quanquam à nemine docta & rerum ignara manus inferet Natura, & quod ingluvie pinguive otio vel aliquo naturalis operis errore aut indiligentia malè cumulavit ac retinuit venis procuratâ opportuniùs ἀνασομώσει deponet, niſi etiam iniqui adeò oneris victa impatientiâ ultimâ illas perrumpi ſuſtinuerit. Hoc enim illi reliqui eſt quò vitæ fomitem præſentiſſimæ præfocationis diſcrimine eximat. Caduca enim plurimum eſt moxque in injuriam vertenda hæc laſcivia corporum, humorum luxuries ni tempeſtivè corrigatur. Ejus itaque labor & opera intercedat oportet, ad quem maximè Naturæ humorum mole, ſarcina, aut congreſſu dubio laborantis pro muneris ratione cura hæc attinet. Siccine enim clientem ſuum diviſui tum habiturus otioſus ſpectator ſedebit? Nec premet pollicem, cum viderit nutantem, cum in ultimo diſcrimine poſita vi geritur res totamque hæmorrhoidum menſiumve aut ſolitæ prius evacuationis ſuppreſſione modò oppreſſuri naturam humores huc illucque commeant, turbas miſcent undique. Dignius me hercle & ad artis commendationem præſtabilius maturiùs ſic exemiſſe periculo decumbentem, quàm ſervaſſe naufragum, juvabitque ſemper iſtam juſti certaminis comperendinationem artis diligentiâ præoccupaſſe, quàm incerti exitus periculoſam aleam ſequi & experiri fidem adeò infidæ geſtionis cæca inanique ut plurimum expectatione.

NEQUE enim novum planè & inſolens, neque à recta medendi norma alienum habebitur in omnibus ferè morbis ſanguinem mitti, cum vix ulla occurrat in morbis querela & injuria cui propulſandæ non modo commoda, ſed quod amplius neceſſaria venæ ſectio non videatur, ſive enim plethoræ aut cacochymiæ mole atque moleſtia ægrum levare ſtudium & ſollicitudinem medentis occupet, nullum eò præſentius tutiuſque præſidium futurum eſt, ſive revulſionis aut derivationis opus adurgendum grave aliquod ſymptoma admonuerit, ſive ardoris & inflammationis vis & æſtus ſit tibi compendio reſtinguendus, amplo vulnere venam tunde quò ῥοιζηδὸν feratur ſanguis, eò majore efficacia ſi κατ' εὐθυωρίαν liberalius de proximo fluxerit, ſcilicet è ſuperioribus potiùs quàm malleoli venis, ni ſolitum menſium, lochiorum, hæmorrhoidum fluorem æſtus morbi ad ſe converterit; cœli, plagæ, habitus, ſexus, ætatis nec te minus æqua dimoverit conditio, hinc menſuræ non remedii modus eſt; unas vires laborantis & morbi magnitudinem ſolùm conſule & explora documentis fidelibus, nec niſi indicatione ceſſante ceſſes. Adeò latè patet & porrigitur beneficium venæſectionis ut gratiæ huic præſentiſſimæ non decumbentes modò vel cauſarios, verum ipſos quoque ſanos obnoxios habeat. His omnibus accuratè & diligenter perpenſis ſimulque inter ſe comparatis obteri nullo negotio apud æquiores arbitros artis naturæque legum peritiſſimos indoctæ & peregrinæ multitudinis calumnia illa injuſtiſſima poterit, qua etiam cum ad veterem normam & primas melioris artis leges ſeveriùs ſeſe componit quiſque è Pariſienſibus Medicis velut Achylles apud Lycophronem claſſico & ſigno dato cruentam legem imperat, nihiloſeciùs hôc unô titulô & nomine ſæpenumero ſolitus eſt infamare. Verum quoniam rerum ægri lege geſtarum ſibi bene conſcium nihil lædit atque attinet indigniſſima iſthæc obtrectatio cæco impotentique vulgi ſtudio permittenda relinquendaque illa eſt, cui obſequi illorum modò nomine tenus Medicorum qui ſtudent numeroſæ plebi blandiri idque unum curant. Operæ pretium eſto, dum quod noſtri muneris eſt & partium cùm in docenda, tùm in facienda Medicina profiteamur.

CONSTANS ſanè & ſingulare in agendis præceptum illud eſt, ut ad id, quod magis urget animum & ſtudium dirigamus, modò operam hanc conſultò & conſideratè præſtemus, non imperitorum more, qui ad quoſlibet caſus ſuſpicioſi & in diverſa nimium faciles quid certi conſtitutique eſſe debeat non agnoſcunt, quô ordine & lege decernenda ſit Venæ ſectio nil laborant, cum tamen non una ægrorum, morborum, humorumve indoles conſilia ſæpiſſimè miſceri, neque raro anteverti poſtulet, quare non mirum ſi cæſpitare illis & offendere in pleriſque contingit, quod neque diverſos mittendi ſanguinis ſcopos teneant atque illam modo plenitudinis ad vaſa ſpeciem approbent, quæ tale præſidium repoſcat. Verum ut hæc idiotas non latet vixque aliquid artis aſſequitur & obtinet, ita quæ ex viribus ducitur ſolius artificis videtur eſſe naturam ipſam penitius contemplati, nec ſenſu modo verum etiam ratione ejus opes & damna meritò æſtimantis. Plebeium ſiquidem nimis illud eſt rebuſque naturæ incurioſiùs medici ſtudentis continentium humores vaſorum & partium inire rationem, neque ullam ejus habere, cujus eſt illos regere & moderari. Hinc quippe hominem omnium maximè animalium naturæ & vitæ neceſſaria indulgentia αἱμωδέστατον hacque ſæpius de cauſa querulum adeò præſentis & commodæ vacuationis ſingulari & præcipuo beneficio indigere tàm ſapienter is judicat, quàm ſiniſtrè illi quicunque ſint ſequioris Medicinæ Profeſſores ſuam ἀμαθίαν & ſupinam prorſus in negligenda venæ ſectione ἀτεχνίαν produnt, apud quos tàm noxiè facilis eſt & expoſita peccandi licentia, quàm prima artis ſaluberrimæ theoremata Theſſalico ac prorſus Tribonico ſupercilio imperitiùs cavillandi, audaciùs corrumpendi infrunita protervitas, dum erumpentibus etiam variolis, morbillis, parotidibus bubonibus, Eryſipelati, ſuppurationi (quæ propriè puris eſt in thorace vel abdomine tum confectio tum collectio) cæteriſve abſceſſibus venæ ſectione interdictum eſſe volunt, cum nullum ſit ad manum præſentius auxilium, ad vota proclivius efficaciuſque, cujus opera actutùm ſubducta parte oneris, inde alacrior natura poſſit alieni infeſtique ſucci vim omnem διὰ τῶν ξυμφερόντων χωρίων deportare. Quod ſi id aſſequi non valet, pus concluſum non fortuito vulnere ut Phæreo Jaſoni evenit, ſed induſtria periti artificis ἐγχειρήσει educendum; ne verò conficiatur, arcere una Venæ ſectio poteſt, una nempe illa eſt, quæ pro Diis nixiis & favente Lucina ægrè parituras ſoſpitat, pigra maturat menſtrua, ſuppreſſis aperit laxatque carceres, vaga cogit in ordinem & periodi legibus coercet; Hæc una capitis, cerebri, pectoris, jecoris cæterarumque partium vulneribus oſſiumve fracturis ne ſuperveniant abſceſſus ſecura habetur προφυλακή.

Ergo Præcavendo Abſceſſui Venæ ſectio.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Ioannes-Baptiſta-Renatus Moreau Profeſſor Regius.
M. Nicolaus Pelletier.
M. Renatus le Comte.
M. Franciſcus Afforty.
M. Nicolaus de Iouvanci.
M. Germanus Preaux Scholarum Profeſſor.
M. Edmundus Charrier.
M. Raphaelus Maurin.
M. Petrus Creſſé.

Proponebat Lutetiæ CLAUDIUS QUIQUEBEUF, Pariſinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1684.